Authores tria Succini genera adducunt, primum Album eſt, ſecundum Flavum, tertium Nigrum: at vero cum nigredo poſtremo huic tantum contingat à ſordium admixtione, aut vetuſtate, ideoque improbandum eſt, ſolumque flavum cum albo in uſum accerredum; quorum prius poſteriori præfertur, quod melius concoctum, ſit purius, odoratius, imo Sale volatili magis impragnatum: Non ideo tamen non quotidie uſurpatur Flavum cum album rarius occurrat, ex Flavo autem eædem promemodum ſubſtantiæ quæ ex Albo educi poſſint.

Simplex præparatio Succini, Pharmaciæ Galenicæ familiaris, id ſuper prophyrite terendo, contemnenda non eſt, tum quod appoſitiſſime Succinum præparatum in morbis Cerebri, Ventriculi, Inteſtinorum, & uteri, imo & in Hæmorrhagia quavis, uti & ſicubi adſtringendi occaſio adfuerit, in uſum venit: Tum quod admodum facilem reddit Succini diſſolutionem ſi alia quædam præparatio illam ſubſequi debeat, ac præſertim Tinctura.

Hæc ſi paranda fuerit, matratio immittantur Succini electi unciæ quatuor, ſuper porphyrite lævigati, affunde Spiritum vini rectificatiſſimum, donec quatuor digitis ſupereemineat; ſuperponatur Matratio exiguum vas cœcum, cujus commiſſuræ accurate luto obducendæ, demum Digeſtio fiat Balneo cinerum aut Arenæ, igne mitiſſimo, per vices materias commovendo, donec à Spiritu vini diſſolutione facta maximæ partis Succini ille eleganti flore flavo tinctus fuerit: Poſtmodum decantato in lagenam liquore colorato, novo vini ſpiritu ſubſidentiæ affuſo, impoſitoque iterum Matratio vaſe cæco, optime loricato, eodem Balneo, eodem caloris gradu adhibito id comittendum erit, inibi continendum donec à ſpiritu vini reliquiæ Succini fere omnino ſolutæ ſint, ac propemodum liquor eundem colorem ac prior adeptus ſit: Tunc vaſis decruſtatis decantata hæc Tinctura, priorique commiſta, per chartam emporeticam tranſmittenda erit: Quæ Cucurbita vitrea excepta, eidemque Balneo impoſita, Alembico proprio cooperta, admotòque illius roſtro exiguo Receptaculo, probeque luto conjunctis ſuturis, igne leniſſimo extrahenda erit media circiter pars ſpiritus vini: demum ſponte refrigeratis vaſis, in lagena vitrea denſa id quod in Cucurbita ſuperſtes fuerit recondendum, adſervandum titulo Tincturæ Succini, cujus uſus eximius futurus in affectibus præſertim cerebri & uteri, exhibendo à ſcrupulo uno ad drachmam unam ex liquoribus idoneis.

Poſſet affuſa aqua diſſolutioni Succini infringi vis Spiritus vini, eoque pacto hunc ſpoliare partibus Succini quas adſumpſerat & diſſolvit, præcipitatione illico facta in imum liquorem formæ Pulveris flavi, unde ſi